In nomine domini Amen. Ad perpetuam Rei memoriam. Ne error oblivionis effectis subtempore versantibus in posterum pariet detrimenta
Alta Regum et Principum consilia decreverunt ut ea que aguntur litterarum annotacione et fidedignorum testimonio perhennentur. Proinde Nos Wladis
laus dei gracia Rex Polonie Necnon terrarum Cracovie Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Lythwanieque Princeps Supremus, Pomeranie Russieque dominus
et heres etc. Significamus tenore presencium, tam presentibus quam futuris quibus expedit universis. Quod solicite mentis intuitu pendentes grate fidelitatis
studiosa obsequia et multiplicium meritorum constanciam quibus Strenuus et Nobilis Mathiasch de Woyska miles noster fidelis dilectus nobis totiens
complacuit et in posterum aucto fidelitatis studio poterit prestancius complacere. Horum intuitu volentes eum nostrarum graciarum liberalitate prevenire
et ad obsequia nostra reddere prompciorem, sibi cuique successoribus legittimis villam nostram Brzozowa alias Lobetang in terra Sanocensi in flumine
Pella sitam incipiendo a finibus ville Pella quousque adoritur predicti fluminis Pella parte exutraque cum omni Jure et dominio prout eadem
villa nostra Brzozowa in suis metis graniciis et gadibus est circumferencialiter limitata et distincta cum omnibus ac singulis ipsius utilitatibus fructibus
censibus, redditibus, proventibus, necnon agris, pratis, campis, pascuis, silvis, gays, mericis, nemoribus, quercetis, montibus, collibus
vallibus, aucupacionibus, venacionibus, mellificiis, rivis, aquis aquarum decursibus ac fluviis fluentibus in flumine Pella, piscinis, piscaturis
molendinis et emolimentis necnon pertinenciis, coherenciis et appendiciis universis ad ipsam villam nostram Brzozowa quolibet ab antiquo spectantibus
damus conferimus perpetuis temporibus et donamus, quam quidem villam nostram Brzozowa ipse Mathiasch cum suis heredibus et successoribus legittimis
tenebit habebit utifructuetur perpetue et pacifice possidebit necnon vendet commutabit obligabit alienabit, et in usus suos beneplacitos convertet iuxta quod sibi
cuique successoribus legittimis melius et utilius videbitur expedire. Racione cuius donacionis idem Mathiasch et sui successores legittimi cum duobus
Sagittariis ad quamlibet expedicionem generalem nobis et nostris successoribus servire tenebitur perpetue et in evum. Ut autem nostra hec donacio firma
et inviolabilis permaneat perpetualiter presens Privilegium sepedicto Mathiaschoni et ipsius posteris ac successoribus legittimis dari fecimus nostri
mediocris sigilli appensione communitum. Actum in Sandecz feria secunda post dominicam Letare Anno domini Millesimo Quadringentesimo decimo
nono presentibus hiis validis Strenuisque viris Johanne de Tharnow Palatino Cracoviensi, Cristino de Kozeglow Sandecensi, Sbigneo de Altomonte (wysogora)
Rosperciensi Castellanis. Sbigneo de Brzezie marschalkone regni Polonie, Paulo de Boguminlowice Cracoviensi et Petro Falkowsky
Sandomiriensi Judicibus et aliis quampluribus fidedignis fidelibus nostris dilectis. Datum per manus Reverendi in Christo patris domini
Alberti episcopi Cracoviensis Regni Polonie Cancellarii sincere nobis dilecti etc.

1419